



SECTIO II.

De ACTIONE CONFESSORIA UTILI.

SUMMARI A.

Significatio §. 1. Definitio. 2. Divisio. 3. *Causa Efficiens Remota.* 4. *Propinqua Principalis.* 5. *Minus Principalis.* 6. *Subiectum Inhabitionis.* 7. *Receptionis.* 8. *Objectum.* 9. *Forma.* 10. *Finis.* 11. *Concurfus.* 12. *Judex.* 13. *Contrarium.* 14.

QVÆSTIONES.

I.

An detur Actio Confessoria Utilis? *Aff. §. 4.*

II.

An Actio Confessoria Utilis sit Dativa? *Neg. §. 5.*

Actio Confessoria Utilis, quæ & Quasi Confessoria vocatur, Joh. Fab. *ad §. 13. Inst. de Act. n. 9. h. l.* non consideratur ratione *Effectus*, ita, ut accipiatur pro Actione Efficaci, quæ contradistingvitur Inani, *l. 6. ff. de dolo malo, cap. 16. x. de restit. spoliat. Cremb. ad §. 1. Inst. de Act. n. 24.* sed ratione *originis & causæ Efficientis* pro actione per interpretationem & productionem utiliter accommodata, actionique directæ opposita. *l. 47. ff. de Negot. gest. l. 37. pr. ff. de Obl. & Act.* non tamen indefinitè pro

quavis in genere, sed tantum pro ea, quæ est utilis propter qualitatem *Objecti* vel potius *Fundamenti & causæ propinquæ* Bachov. *de Act. Disput. 2. §. 23.* Huc ergo non pertinet Actio Confessoria Utilis, quæ datur propter causam acquirendi servitutem ex longo usu & tempore *l. 10. ff. si servit. vindicet nec*, quæ utilis dicitur propter qualitatem subjecti, competitque Domino Utili, & qui jus in re habet. *l. 16. ff. de servit. l. 9. ff. de N. O. N. nec*, quæ Utilis est propter mutatam conditionem rei servientis. *l. 31. ff. de S. Præd. Urb. Kling. ad Tit. de Act. Rubr.*

(A)

Rubr.